



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

15. Martij. Nulla est tranquillitate ipsâ peior tempestas, nec ullum adversariorum genus periculosius, quàm adversariis credere. S. Ignat. apud Bart. l. 2. §. 18.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

nus offendatur ? nimirum tam atrox hoc facinus est , ut si cœlo, terræ, hominibus, Angelis pernicies immineret , hæc minùs timenda forent, quàm Dei offensa.

15. Martij.

Nulla est tranquillitate ipsâ pejor tempestas, nec ullum adversariorum genus periculosius, quàm adversariis carere. S. Ignat. apud Bart. l. 2. §. 18.

Perpetua tranquillitas, sub larva securitatis, gravissima minatur animæ pericula. Mater est otii, nutrix acediæ, fomentum sensualitatis. Quanta hæc in spiritu damna!

Adversitas nos admonet officii, compellit ad Deum. Dormiunt etiam Apostoli, dum placidum dormit mare; tempestas eos clamare cogit: Domine salva nos, perimus.

Pati mala non est malum. Pati à malis etiam bonum. Pati propter bonum, adhuc meliùs, pati ob mala, pariter bonum est, quia sic ea expiare bonum est.

In tempestate nascitur margarita, in ignibus excoquitur aurum, inter malleorum ictus corona cuditur, nec aliter, quàm

D 5

adver-

adversis nutritur virtus. Hostis nempe facit fortem , ut tempestas nautam commendat.

16. Martij.

Nibil suavius est , quàm amare Deum, scilicet ita, ut ex amore illius multa patiaris. S. Ignat. vitæ l. 1. n. 33.

Omnis felicitas hominis amor est. Tantus es, & tantum vales , quantum est, quod amas. Provide proinde quem amas? si rem perituram? tibi ruinam præparasti. Si Deum? felicitatis apicem attigisti. Amare, nec pati velle, est otiosi. Cupiditas est, non charitas , hujus enim lydius durus est , qui verum à spurio amore distinguit. Se , non Deum amat, qui hujus amore pati recusat.

Deum amare inter prospera, virtutis nomen non meretur , hoc etiam sensualitas potest. Sed ubi cruces cœlum depluit, amplius Deum , & has propter illum amare, veræ virtutis est experimentum.

Ut collisio è silice flammam elicit , & agitatione flamma crescit : sic fortunæ adversitate verè Deum amantium corda amplius accenduntur. Cur tu friges?

17. Mar.